Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2787
Quelle:
Copyright:

ſuadeo, publice decantatam fuiſſe hanc Naeniam. Interim tamen firmat illud, quod *Eberh. Windeckius* in *vita Sigism.* de *Alberto* memorat: *vnd wart derſelbe Konig alſo ſere geclaget von edeln vnd vnedeln, von reich vnd armen, alſo kein Konig ſint Chriſtus gepurt ye geclaget wart.*

XVIII. *fol.* 61. *Sermo dictus per Andream Holes anglicum Cubicularium ſ. d. n. anno a natiuitate domini M. CCCC. XXXIII. in hoſpitali anglicorum Rome, in feſto ſancti Thome martiris cantuarienſis quondam archiepiſcopi, in preſencia. VII. Reuerendiſſimorum dominorum Cardinalium, et multorum honorabilium prelatorum, in cujus ſermonis exordio metrice plangit mortem magiſtri Guillermi Certeyn anglici in artibus Iure canonico et Theologia graduati, floridique poete, et primarij Anglicane nacionis in vrbe, qui in pallatio apoſtolico et dicto feſto ſancti Thome reuolutis annis, dum in humanis agebat onus predicandi ſuſtinens, die Martis nona menſis ſeptembris Anno a natiuitate domini M. CCCC. XXXII. verus chriſti confeſſor, impleuit fati diem, ſimiliter ſanctus Thomas, ut refert Hiſtoria, martirium ſubijt die martis. Hec premittuntur ad clariorem metri ſequentis intellectum.* Metrum porro irato tentatum *Apolline* ſic infit:

Pontificis ſummi fratres, quaſi ſidera ſolem
Luſtrantes ipſum, reliqui patres et amici
Conſtantes rogo vos nunc mecum plangite triſtes &c.

Sequitur acris in *mortem* et *martem* (diem obitus) declamatio. Ad vitam *Guilelmi* paene nihil, quam:

Artibus inſtruxit hunc anglia, Iura docebat
Poſt bononia, ſed ſcripture miſtica ſacre
Roma caput mundi. Tres hee fecere poetam.

Sub finem Deum Poeta adpellat, ut molliter dicam, ridicule:

Si fas eſt dicere, dicam
Pace tua, poteras feciſſe decentius iſtud
Et properaſſe minus, donec miſiſſet ad vrbem
Anglia perſonam, que ſemper in omnibus eius
Supportaſſet onus &c.

Succedit aliud oratione proſa *Elogium* et demum Sermo de *Thoma Cantuarienſi* in illud: *Tu es ſacerdos in eternum.* Pſ. CIX. hoc initio: *Hec brevis verborum ſeries ab ore primordialiter emanans*